Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO HISTORICO-MEDICA DE ALOE

QVAM

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTVNT

PRAESES

IO. HENR. SCHVLZE

MED. D. ANATOM. AC CHIRVRG. PROF. P.

ORDINIS MEDICI H. T. DECANVS ACADEMIAE

CAESAREAE NAT. CVRIOS. COLLEGA

ALCMAEON DICTVS

ET

RESPONDENS

CHRISTIANVS IACOBI

FALCOBVRGO-NEO-MARCHICVS.

IPSO ANNO ACADEMIAE SAECVLARI

A. D. IVNII

H. L. Q. C.

ALTORFII NORIMBERGENSIVM

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

EA. 723/97

RPJCB

Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO ACADEMICA
DE ALOE.

Non omnes arbuſta iuuant humilesque myricae:
Si canimus plantas, plantae ſint tempore dignae.

NOs vero, laeto hoc academiae anno ſaeculari in doctorum virorum conſeſſu aliquid exhibituri, quod diſſerendi argumentum praeberet, religioni duximus per laceros hominum artus eundo, triſte ſpectaculum lectorum mentibus obiicere, aut febres, vlcera doloresque mortalium commemorando, vel abominationem vel nauſeam excitare: magis autem conuenire putauimus, ſi ex amoeniſſimo Florae regno plantam proponeremus, quae nec admirabili elegantia ulli cedit, nec vſu multiplici, quem humano generi inde ab antiquiſſimis temporibus praeſtitit, deſtituta eſt. Siſtit autem nobiliſſima plantarum Aloe, quam nunc producere viſum fuit, pulcerrimam ſaecularis gaudii imaginem, quippe ſunt ex hac familia, quae a primo quidem germinationis ſuae initio non inutiles, florem tamen ad ſatis longum tempus, quod non pauci auctores centum annis circumſcripſerunt, differunt, hoc vero emenſae tam admirabilem explicant, vt mortales, e longe remotis etiam ſedibus excitatos, ad ſpectaculi elegantiam oculis ſuis vſurpandam alliciant. Quum vero plurima dici de hoc argumento poſſint: et ante nos doctiſſimi viri integra volumina laudibus illius compleuerint, aliique longas concertationes de vſu illius in lucem dederint: nos quidem ſelectiora nunc tantum exhibituri ſumus. Et quum praecipue vſum aloes illius catharticae, quae in officinis pharmaceuticis verſatur, reſpiciamus; ſi quid de reliquis, quae idem nomen gerunt, tempeſtiue immiſcuerimus, id ſuperpondii loco habendum, nec acerbe caſtigandum, ſi non ſufficienter tractatum videatur, L. B. commendamus.

Sectio Prior
HISTORICO-PHILOLOGICA
De nomine, differentiis, loco natali, ſuccum eliciendi modo et ſimilibus.

§. I.

ALoes nomen a qua ſit origine valde obſcurum eſt. Nihil adeo mirandum eſt ſi auctores plerosque videamus in etymologia eius inueſtiganda a ſe inuicem diſſentire.

Auctor annotationum in *Garciae ab Horto aromatum hiſtoriam*, quem Ioſephum eſſe Scaligerum Caſaubonus non obſcure teſtatur, docet Graecos primo, et deinde Romanos, nomen Aloes accepiſſe ab orientalibus nationibus, quippe vocabulum hoc in Syrorum et Aethiopum lingua hodieque ſupereſt, illis עלוי his עְלָוִ illud efferentibus. Sed an ſatis firmum ſit argumentum alii videant. Dubium mihi propterea reſidet, quia Syrorum et Aethiopum, quae apud nos exſtant, pauca monumenta fere ſacri tantum argumenti ſunt, et ex Graeco translata, in quibus de aloe cathartica mentionem fieri non meminimus. Quare exempla deſidero horum vocabulorum de aloe hac adhibitorum. Et cum in inſulis, et regionibus quas Graeca lingua vtentes populi habitabant, vt infra docebimus, ſponte creſcat aloe, nomen ipſi a domeſticis fuiſſe impoſitum quis dubitabit? Porro quum apud Arabas, quae natio numquam tota Chriſto nomen dederat, deinde vero Muhammedana impietate corrupta alienior reddita eſt, nomen ſuum vernaculum in tot eorum libris, etiam e Graeco translatis, retineat: quis non videt quam infirmo talo ſtet illa ſecura aſſertio de origine ex oriente repetenda. Si igitur placet Graeciae hoc nomen relinquere, et omnino etymon aliquod indicandum eſt, quid impedit

quo

quo minus ἀπὸ τοῦ ἁλὸς dictam putemus aloen, quia, teſte Dioſcoride, ἐν παραθαλασσίοις τόποις καὶ νήσοις *in locis maritimis atque inſulis* ſponte ſuccreſcit.

§. II.

Apud Arabes diuerſa et diſtincta nomina habent aloe cathartica, et altera, quae ad odores et ſuffimenta adhibetur: reliquae etiam gentes, apud quos haec planta creſcit, ſuis illam nominibus appellant.

Magnae confuſiones apud Graecos et Latinos quosdam auctores ex homonymia vocabuli aloes ortae ſunt: quibus longo ſermone comprobandis eo iuſtius ſuperſedemus, quia hunc laborem laudatiſſimus *Cl. Salmaſius in Plinianis exercitationibus pag.* 743. ſatis fuſe et eleganter peregit. Nimirum quum magnopere olim aeſtimaretur ligni odorati aliquod genus, quod Ebraei אלהים ſeu אלהות vocabant, Graeci ſcripturae ſacrae interpretes ἀλόην reddiderunt: ſicque forte primi fuerunt qui mediae aetatis ſcriptoribus, huius confuſionis cauſa praecipue arguendis, exemplo praeiuerunt. Sed Arabes vbi agallochum, i.e. aloen illam odoratam, volunt, adhibent vocabulum *lua* vel cum articulo *al lua*, alii ſcribunt *al-luvva:* quando de cathartica loquuntur, illam *Sabr*, quaſi diceres *patientiam*, vocant, rarius *macr* vel *ſala* vocant. Quibus nominibus aloe apud alias gentes inſigniatur, quaerere aut huc transſcribere minus fructuoſum videtur: indicaſſe ſufficiat Hiſpanos et Luſitanos corruptum Arabicum retinere: Neapolitanos *Noale*, ſine dubio ex corrupto Graeco, vocare; Indiae vtriusque populos nomina plane ſibi propria impoſuiſſe.

§. III.

Aloe, vbicunque in ſacra ſcriptura commemoratur, intelligenda eſt odorata illa, minime vero cathartica.

Occurrit vocabulum pluribus locis, vbi et contextus et adiecta docent, ſermonem eſſe de illa, quae ſe odoris praeſtantia com-

commendat: vt *Cantic. IV*, 14. *Prouerb. VII*, 17. *Pſal. XXXXV*, 9. Vnicus tantum eſt textus *Joannis XIX*, 39. vbi Nicodemus laudatur, quod ad ſeruatoris noſtri in cruce mortui corpus condiendum attulerit *μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης*, *mixturam aloes et myrrhae;* quem de aloe noſtra cathartica accipiendum ſuadet ſupra laudatus auctor notarum in Garciam ab Horto. Facit autem hoc ita vt ſimul Plinium in partes vocet, qui *Hiſt. natur. l. XXVII*, 4. ita ſcribit: *fuere, qui traderent in Iudaea ſupra Hieroſolymam metallicam eius naturam.* Metallicam igitur naturam aloes putat non eſſe apud Plinium ſollicitandam, modo intelligatur de illa, quae cadauerum conditurae adhibita olim fuit, et poſt longum tempus e terra eruitur, mumiaeque nomine celebratur. Illud vero neutiquam videtur admittendum eſſe ante quam probatum ſit, et ab experientia confirmatum, mumias, quae ex Iudaea, ſuper Hieroſolymam erutae, afferuntur, ſi quae afferuntur, ab illis, quas nobis Aegyptus mittit, valde differre, et aloes, amarae illius, veſtigium praebere. Certe reſinoſum illud quod in officinarum mumiis oſſibus carnoſisque partibus adhaeret, ſi guſtu explores, nihil minus quam aloen ſapit. *Dherbelotus in bibliotheca orientali*, ex harum gentium libris, quas incomparabilis hic vir, ſi quisquam alius, diligentiſſime euoluit, de mumia perhibet, quod eius maxima copia ex ſpelunca quadam prope Abin, Perſiae ſtricte ſic dictae vrbem, adferatur: vocabulum autem in Perſarum et Turcorum lingua proprie ſignificet aliquid cera vel ſeuo imbutum: ſed propius fere ad ſcopum ducit *Golius* in lexico Arabico, qui mumiam, praeter acceptionem vulgarem, in Dioſcoride Arabico idem ſignificare ſcribit quod piſſaſphaltum. Ex quo illud puto elucerere in ipſis orientalibus regionibus, vnde ad nos mumiae deferuntur, neminem, praeter reſinoſum vel pingue aliquid, in mumiis deprehendiſſe, quod in ſenſus magnopere incurreret. Diodorus quidem Siculus auctor eſt in illis, qui ſumtuoſius in Aegypto condiebantur, praeter cedriam picem, (quae primarium in hoc negotio erat condimentum; cuius forte loco in

Palae-

Palaeſtina piſſaſphaltum, in Perſia olim ceram, adhibuerunt,) adiectam fuiſſe myrrham, cinnamomum et alia, quae et conſeruationi longiori et fragrantiae conducerent. Quum vero aloe noſtra cathartica fragrantiam potius corrumpat quam afferat: et ſine illa ſcopus durationis longioris pleniſſime attingi poſſit per reſinoſa, aeris liberum acceſſum ad corpus, humiditate ſua prius exutum, prohibentia: altera autem aloe, quam agallochum vocant, ob odoris gratiam eximio ſemper in pretio habita ſit: longe videtur probabilius odoratam illam in corporibus condiendis fuiſſe adhibitam. Habemus hic nobis conſentientem eruditiſſimum virum, non ſolum medicum, *B. D. D. Guern. Rolfincium, de purgant. vegetabil. p.* 27.

§. IV.

Aloe non ſolum plantam ſignificat, verum etiam ſuccum denſatum, qui in officinis noſtris reperitur. Planta foliis craſſis, ſucculentis, ad margines aculeatis, radici craſſae, bulboſis affini, ſuccum flauum inſigiter amarum fundenti innixis, floribus autem monopetalis in ſex lacinias profunde diuiſis, albicantibus vel flaueſcentibus, ſummo fructui inſidentibus, conſtat, quae tandem ſemen vaſculis in terna loculamenta diuiſis incluſum producunt.

Dedimus plantae deſcriptionem ex *Ioan. Raii hiſtoria plantar. p,* 1195. deſumtam, ſed ad eiusdem a doctiſſimo *Tournefortio* moniti mentem ſecundasque curas in *method. pl. emendata p.* 117. correctam.

§. V.

Creſcit autem haec planta in non paucis quidem Europae noſtrae locis, ſed laetiſſime copioſiſſimeque luxuriat per Aſiam; forte etiam Africae non omnino negata eſt.

Aloen in Europaeis regionibus prouenire *Dioſcor. III*, 25. diſerte teſtatur. Nam quum prius dixiſſet illam in India plurimam et pinguiſſimam naſci, in Arabia autem et Aſia itidem prouenire,

uenire, deinde ſubdit: καὶ ἐν τισι παραθαλασσίοις τόποις καὶ νήσοις, ὡς ἐν Ἄνδρῳ, ubi quidem loca maritima et inſulas Europae eum intelligere adiectum Andri exemplum perſuadet. Sed clariora teſtimonia nobis ſuppeditant recentiores auctores. Ex his nobiliſſimus *Cluſius rar. plant. hiſt. lib. V, cap.* 48. refert vidiſſe ſe in veteribus muris arcis Vlyſſipponenſis ſponte prouenientem: ab aliis autem intellexiſſe eandem in prouincia Hiſpaniae Valentia, vbi veteris Sagunti rudera viſuntur, in vetuſtis muris et maceriis abundanter reperiri. Idem Cluſius, citante Raio, per Siciliam et Melitam inſulas, in muris et tectis frequentem illam obſeruauit. In Italiae calidioribus prouinciis tam vulgarem eſſe, vt nullus fere Neapoli artifex vel femella ſit, quin vnam ſaltem aloes plantam in fictili, aut laqueari appenſam, habeat, locupletiſſimus teſtis eſt botanicorum haud vltimus *Fab. Columna minus cognitar. ſtirp. et rar. cap. XI.*

Longe tamen maiorem eius copiam alit Aſia. *Dherbelotus in Biblioth. Orient.* ex Edriſſio, magno Geographo Arabe, refert in Arabiae felicis prouinciis Hadhramout et Schagiar maximum eius dari prouentum. Et in priori quidem maxime luxuriare aloen in campis ſabuloſis, quos Arabes Ahcaf vocant. Qui in hac regione paratur ſuccus vocatur Sabr al-Hadhri, quaſi diceres aloen Hadramyttenam, quam ipſi Arabes inferiorem Succotrinae agnoſcunt. Hadramytta *Theophraſto hiſt. plant. lib. VIII,* 4. memoratur, vbi plurimorum aromatum patriam ſtatuit, ad quem quidem locum plura moneri poſſent, ſi nunc tempus permitteret: iam ipſam regionem, antiquiſſimum nomen hodieque retinentem, indicaſſe ſufficiat; quam Plinius et Stephanus Byzantinus intelligere videntur, quando in Sabaeis Atramitas recenſent, et Strabo, dum in eadem regione Chatramotitas laudat. Forte non multum a vero aberrat Dherbelotus qui nomen Hadhramout deducit ab Hazarmaueth חצרמות (Geneſ. V, 26.) filio Ioctanis, nepote Eberi: quod quidem facit *Golio in Lexico Arabico*, conſentiente: doctiſſimo autem et ingenioſiſſimo *Bocharto in ſuo Pha-*

leg

leg L. II. c. XVII. originationem quidem eandem approbante, ſed cauſſam aliam denominationis, neque illam improbabilem, afferente. Nam quum illud nomen ſignificet *regionem mortis*, tam inauſpicatam appellationem inde putat accepiſſe, quoniam ob aeris inſalubritatem et ſerpentum, quorum morſus letiferi ſunt, copiam, haec regio non ſine multo periculo habitari poteſt.

Porro aloen naſci in pluribus Aſiae locis *Garcias ab Horto* teſtatur, maxime autem in Cambayae et Bengalae maritimis tractibus. Neque vero ſolum in maritimis eam idem auctor πολύπλαγκτος vidit, verum etiam in deſertis Indiae locis ubique eam obſeruauit, ducentis leucis itinere terreſtri per eas ſolitudines confecto. Quin per ipſam Chinam copioſe reperiri certum eſt.

Quod aloen forte etiam Africae non omnino negatam eſſe ſuperius ſcripſimus, propterea ſubdubitanter fecimus, quia inſula Socothora, quam alii Sucotram vocant, et quae ob aloes praeſtantiſſimae prouentum tantopere ab omnibus celebratur, incertum eſt vtrum Aſiae potius an Africae adiicienda ſit. Multis eam verbis deſcribit *P. Vincent. Maria di S. Caterina da Siena* in libro quo itinera ſua deſcripſit, cuique titulum fecit: *il viaggio all' Indie orientali L. V. cap. IX.* Non poſſum quin paucis attingam orientalium de huius inſulae habitatoribus traditionem. Binis autem locis refert ſaepius laudatus *D'Herbelotus* perſuaſos eſſe Arabes et Perſas Alexandrum magnum Indiis peragratis ad hanc quoque inſulam appuliſſe claſſe ſua, cognitaque eius fertilitate, et viſa praeſtantiſſimae aloes incredibili abundantia, coloniam Graecorum huc poſuiſſe, qui culturam aloes exercerent. Parum forte tribuendum videretur huic narrationi, quum iidem orientales de Alexandro plurima ſupra et praeter fidem in ſuis ſcriptis exhibeant, fabulis ſecure adſcribenda: et in ipſa hac narratione abſurda intermiſceant, dum Chriſtianam religionem ab eodem Alexandro in hanc inſulam fuiſſe introductam perhibent: Sed ne penitus adſpernemur hanc traditionem facit modo citatus miſſionarius, qui teſtatur incolarum duo hic inueniri genera multum diuerſa:

alios eſſe nigros criſpis capillis tectos: alteros albentes, capillis rectioribus, indolis erectioris et nobilioris. Quare hos nigros forte licebit quaſi *αὐτόχθονας* exiſtimare: albentes, illorum reliquias quia e Graecia appulerunt, ſed ab commercio cum maioribus ſuis tanto interuallo ſeiuncti tam longo tempore barbariem induerunt. De ſucci, qui hic conficitur, bonitate et pretio inferius erit dicendi locus.

§. VI.

Aloes, praeter veram illam officinalem, multae ſpecies ab auctoribus conſignatae et deſcriptae inueniuntur; inter quas merito principatum tenet Americana, quae in eſſentialibus notis cum altera conuenit, ſed non pauca offert diuerſo modo ſe habentia.

Qui ſingularum ſpecierum enarrationem deſiderat, adeat botanicos qui maiori cura ſcripſerunt, hortorumque celebriorum indices. In primis autem laudandus videtur *Abrahamus Muntingius*, qui ſuo, quem de vera herba Britannica ſcripſit, libro appendicem ſubiecit de ſpeciebus Aloes. In noſtrae academiae horto inſtructiſſimo, quem, auſpiciis Generoſiſſimorum et munificentiſſimorum Dominorum Academiae Curatorum immortali laude digniſſimi viri B. D. D. *Ludouicus Iungermannus* primum inſtruxit, B. D. D. *Mauritius Hoffmannus* amplificauit, Illuſtris D. D. Ioan. Mauritius Hoffmannus, vir gloria et meritis florentiſſimus, de noſtra academia meritiſſimus, prouida cura fouit et auxit, hodieque inſigniter ornat et tuetur Excellentiſſ. D. D. Io. Iacobus Baierus, Academiae h. t. Magnificus Rector, ſunt conſpiciendae ſeptem ſpecies, ſcilicet, Aloe Americana vulgaris et maior foliis in aculeum abeuntibus. 2. Africana laeuis maculata. 3. Africana tricolor flore rubro. 4. Africana cauleſcens, perfoliata, modice glauca, ſpinis amplis ſed mollioribus. 5. Africana margaritiferera non ſpinoſa foliis vtrinque conuexis. 7. Africana fol. triangulari laeuiſſimo aſphodeli ſimili.

Aloen Americanam videntur Europae intuliſſe Hiſpani, apud

quos

quos primum ſe eam vidiſſe Valentiae, indeque decerptas plantulas binas in Belgicam transtuliſſe, ſcribit *Carolus Cluſius rar. plant. hiſt. L. V. cap. XXXXVIII.*

Ipſam plantam ſecundum omnes ſuas partes deſcribere non putamus neceſſarium, quoniam hoc labore alii iam dudum perfuncti ſunt, nec rara hodie apud nos in Principum, aliorumque curioſorum, hortis conſpicitur. Admirabilem huius plantae indolem, variosque vſus, quos praeſtat mortalibus, ex Gomara Cluſius, ex Franciſco Hernandez Raius, referunt, ex quibus in ſummam contracta referam aliqua, vt ſimul appareat quantum ab aloe Aſiatica differat Americana. Succo illa turget et abundat dulci tam copioſo, vt vna planta (dictu mirabile) quinquaginta interdum amphoras ſucceſſiue profundat. Modum eliciendi alium Gomara, alium Hernandez tradit: ſed non video cur non vterque poſſit fidem inuenire. Ex hoc ſucco indigenae ſibi vinum, mel, acetum ac ſaccharum parare nouerunt. Folia in fruſta diſſecta, praeſertim qua parte craſſiora et magis ſucculenta ſunt, aſſant et in cibum delicatum adponunt: ſucco etiam aſſatorum vulneribus medentur. Folia integra tectis conficiendis, imbricum loco, adhibent: ſiccata pro foco inſtruendo adhibent: neruulos cannabis, immo goſſypii loco ad fila nenda, reſtes faciendos, linteamina texenda aptant. Memini olim videre me Lipſiae in elegantiſſimo horto Boſiano binas culcitras, totas ex partibus aloes, quae ibi floruerat, confectas, quarum tegmen holoſerici in modum elegantiſſime elaboratum erat. Porro Americani integris plantis, circum agros et hortos conſitis, ad illos ſepiendos et a ferarum furumque iniuriis conſeruandos, vti conſueuerunt: foliorum aculeatas extremitates ſubularum loco adhibent, iisdemque tela ſua muniunt. Tot vtilitatibus vnica planta ſufficit.

Tota planta maxime eſt longaeua, et ad florem producendum ſatis tardo gradu procedit: tarditatem autem elegantia admirabili compenſat. Fuere qui centeſimo demum anno caulem protrudere aloen ſcriberent, eundemque tam celeriter, vt homi-

nes videre incrementum poſſint, erigere et explicare ſcripſerunt: Sed vtrumque crebrior iam experientia refutauit, nosque docuit et hortulanorum induſtriam, et dominorum non nimis adſtrictam liberalitatem in comparandis neceſſariis, etiam ſub noſtro caelo flores huius plantae citius euocare: et incrementa non tam ſubita eſſe, ſed lente admodum flores ſuſtentaturos caules erigi, ipſum deinceps florem expandi, vt ſaepe vix integro ſemeſtri totum abſoluatur negotium. Conueniunt igitur Aloe Europaea et Aſiatica cum Americana notis characteriſticis, longaeuitate, florendi tarditate: differunt maxime vſibus: et, quod inſignem admirationem meretur, Americana mel, vinum, ſaccharum praebet, Aſiatica, vt et Europaea, fel amariſſimum fundit. De quo nobis deinceps dicendum erit.

§. VII.

Succus Aloes Europaeae, vt et Aſiaticae, amarus, catharticus, non eſt integrae plantae, ſed in certis duntaxat fibris continetur. Quo pacto eliciatur inſpiſſeturque, de eo non conueniunt omnes auctores: videturque plane non omnes gentes eundem obſeruare modum. Nec vnicum genus ſucci proſtat. Succotrina palmam reliquis, ſaltem ex communi opinione et praeconio, praeripit: quaedam lucida appellatur, forte parum a priori diuerſa: alia epatica: viliſſima caballina dicitur.

Europaeam aloen Diſcorides ὀυκ εὔχρηστον εἰς ὀπισμόν, *ſucco eliciendo non idoneam*, declarauerat: ex eo factum eſt vt plerique crederent omnino talem ſuccum in ea non contineri. Sed hunc errorem mortalibus feliciter exemit Lynceus ille *Fabius Columna*, vir ſane diligens cordatus et doctus, cuius vtinam lucubrationes in Dioſcoridem, quas iam typis exſcriptas, ſed iconibus vacuas, latitare in praefatione ſuae *ſtirpium rariorum* ἐκφράσεως, ſignificat, vir quidam boni publici cupidus aeque feliciter eruat, ac immortalis Lanciſius Bartholomaei Euſtachii tabulas anatomicas improbo labore indagauit, opportune inuenit, et ἀφθόνως publi-

publico donauit. Quidni vero ipſius Columnae verbis rem exponam, quum librum in paucorum eſſe manibus ſciam? „Dum, inquit Fabius, *c. l. pag.* 41. vt ceteri dubitaremus an haec plan-„ ta, quam omnes aloen facimus, ſuccum emitteret, qui exter-„ no aloes dicto medicamento, ſiue concreto ſucco, ſimilis con-„ creſcere poſſet, (quod omnes noſtro coelo minime fieri poſſe„ cenſuerunt, atque affirmarunt) diſſecto quidem plantae folio, „ atque radice conciſa, nihil ſucci, neque amari, ſed mucoſum „ quid, ac potius inſipidum, guſtu inueniebatur. Omnibus inge-„ nii noſtri viribus conati ſumus hac de re certiores nos reddere, „ vt noſtram de ea in medium ſententiam afferre poſſemus. Do-„ mi igitur noſtrae quum plures adeſſent huius plantae, in aedis ſum-„ mo ſoli imbribusque aperto loco, vt moris eſt Neapolitanis aedi-„ bus, exſtirpatis aliquibus foliis experimentum tentantibus, in „ mentem venit idem nobis in verae atractylidis obſeruatione „ accidiſſe, ſanguineumque ſuccum non ex carne ſed venis exire: „ Qua propter per obliquum folii venas inuenire auſi ſumus. Sic „ abrupti recenter ab radice folii ſucci parum lutei ex ſingularum „ venarum oris exire animaduertimus, atque deinde ſimul con-„ currere, guttasque decidere vidimus, non ſine animi noſtri gau-„ dio. Atque nouitate exultantes alia atque alia data opera folia „ e radice exſtirpauimus, atque certiſſimum ex neruulis, veluti „ filamentis, ſiue venis intra folii carnem per longum ductis, de-„ tentum luteum ſuccum elici debere comperimus. Suppoſito „ dein lato figulino vaſe vitreato multa ſupra illud ſic ab radice „ ſtatim euulſa folia appendimus, atque ex illis ſpontaneum ſuc-„ cum deſcendere ſinebamus, manibus poſtremo etiam deorſum „ verſus comprimendo folia, atque quod imis foliorum oris con-„ creuerat, radendo.„ Hac quidem ratione Columna ſuccum, calore ſolis accedente ſiccandum, impetrauit, quem omnes periti optimam, quae dari poteſt, aloen, agnouerunt, quique omnibus notis, a Dioſcoride vel aliis traditis, abunde ſatisfaceret. Ad-

dit etiam ſua experimenta, qualem intra corpus proprium ſumtam deprehenderit.

Non poſſum quin Columnae verbis comparem fere ſimilia, ſed, officiente auctoris laudibus breuitate obſcurata, *Amati Luſitani* verba ex *comm. in Dioſcoridem*, plus quam dimidio ſaeculo ante librum Columnae edito: *non ſolum*, inquit, *hodie herba aloes in hortis et feneſtris ſeritur, ſed in multis mercatorum officinis ſuſpenſa videtur, ſuccum ex ſe glutinoſum deſtillans, quem aloen appellamus, vnde Hiſpani a continua deſtillatione illam herbam baboſam (hierua baboſa) appellitant.* Poſſemus haec verba, ſi de ſimplici ſuſpenſione ſermo eſſet, eo interpretari modo, qui Columnae gloriam inuentionis ſoli relinqueret. Plures enim teſtantur aloen per Italiam hyberno tempore fictilibus exemtam e laqueari ſuſpendi, ſicque per tres quatuorue menſes durare continuo virentem, vnde ipſi nomen ſemperuiui marini datum fuit. At vero quum vir harum rerum gnarus dicat ſuccum emanare, huncque ſuccum aloen vocet, licebit coniicere modum parandi Hiſpanos forte quosdam ſolos caluiſſe, et, vt ipſum ſe antea feciſſe non obſcure ſignificat Columna, abſcondidiſſe: Amatum vero, ne proderet arcanum, neceſſarias circumſtantias tacuiſſe.

Hunc a Fabio Columna pleniſſime expoſitum, ab Amato Luſitano indigitatum, eliiciendi ſucci modum puto eſſe veriſſimum, inque eo conſentientem Io. Raium, atque a Raio adductum Celeb. Hermannum, video. Etiam *Garcias ab Horto in aromatum hiſtoria*, quae *Caroli Cluſii Exoticorum lib. VII.* conſtituit, nihil dicit quod non cum his conueniat: modo mendum typographicum tollamus, et pro: *ex aloes herbae ſiccatae ſucco* legamus: *ſiccato.* At vero alii non pauci auctores longe alium ſuppeditant modum. Audiamus primo loco quid orientales auctores *D'Herbeloto* ſuppeditauerint: *Incolae inſulae* (Socoterae) *Iulio*, inquit, *menſe folia plantae colligunt, eaque in magno vaſe aeneo, quo ſuccus eliciatur, decoquunt. Poſt decoctionem ſuccum vtribus infuſum per dies caniculares ad ſolem ſiccant.* Plane

ne his ſimilia tradunt Io. Bauhinus, Abrahamus Munting, aliique plures, niſi quod de ſuo addunt ex vna eademque decoctione, ſi id, quod in ſummo natat, ſeorſim dematur et ſiccetur, prodire Succotrinam: in medio conſiſtentem ſuccum dare epaticam, faeces remanentes demum fieri caballinam, omnium impuriſſimam.

Eſt igitur ſuccus ille inſpiſſatus, quem vocamus aloen, eſſentialis et proprius, loquor cum celeberr. Raio, plantae, quam aloen Europaeam et Aſiaticam vocamus, ſanguini analogus, in vaſis maioribus contentus, in quintam, vt vocant, eſſentiam coctione exaltatus, in quo tota vis plantae, qua talis, nidulatur: non crudior ille et limpidus, inſipidus, qui fibris et parenchymati foliorum ineſt. Non diſpar valde eſt ratio atractylidis, quae ſuccum ſanguineum pariter in peculiaribus venis vehit, vt et chelidonii maioris, quod luteum humorem ſingularibus tubulis inclusum fouet.

Quum omnes, quae in officinis noſtris nominibus diuerſis proſtant, aloes ſucci ex vna eademque planta ſint: non immerito quaeritur vnde ſit illa diuerſitas, et quid differentiam faciat: an tempori, quo paratur, an regionum genio, an denique diuerſae praeparandi rationi cauſſa adſcribenda ſit. Hoc vero puto nos felicius eſſe facturos, ſi prius differentias ipſas fuerimus intuiti. Veteres duplex genus conſtituebant: alterum, quod laudabant, ἡπατίζον, *iecoris modo coactum*, alterum, quod reprobabant, ψαμμῶδες, *arenoſum*, quodque veluti ſedimentum puriſſimae exiſtimabant. Clare id eloquitur Dioſcorides ſaepius laudandus *lib. III. cap.* 23. et, qui ipſius quaſi ore loquitur, aut ſaltem ex iisdem fontibus ſua hauſit, *Plinius XXVII, cap.* 5. Nec vel Galenus vel Aetius vel Oribaſius vllius differentiae alterius meminerunt. Factum, inde eſt vt in formulis medicorum, ad denotandam optimam, adiicerent requiri ἡπατίζουσαν, *iecinori ſimillimam*. Quum vero inſequuto aeuo, maxime aucta luxuria hominum, pro optimo iecinore deſignando dicerent Graeci συκωτὸν, h. e. *ficuum paſtu auctum*, Latini *ficatum*, quod anſeribus et por-

porcellis hoc cibo magna iecinora et delicata pararent: factum eſt vt inferioris aetatis ſcriptores, illud expreſſuri quod olim dicebatur ἡπατίζον, vocabulo tunc notiori vocarent συκωτινὸν, quod magnus *Salmaſius ad Solinum* pulcerrime demonſtrauit. Mutato ſic quidem nomine manſit tamen res immota, nec niſi duo genera aloes noſcebantur. Sequuta ſunt tempora, quibus Arabes in ſchola medica regnauerunt. Ab his primum inducta eſt aloes ſecundum diuerſas, quibus parabatur, regiones, diuiſio, vt alia eſſet Socotrina, alia Arabica, alia ex Senegia allata. Tuncque primum in ſcholis audiri coepit Socotrinae nomen, nemine forſan in occidentali orbe recte ſciente quid ſibi illud vellet, quum nauigationes Europaeorum nondum ad Indias dirigirenter, mercesque, quibus officinae inſtruuntur, tantum per mediterraneum mare adueherentur. Quum vero Arabes Socotrinam tamquam optimam laudarent, Graecique inferiores συκωτινὴν eodem loco poſuiſſent: facile creditum fuit vtrumque nomen ab eadem eſſe origine. Succedebant illa tempora quibus magna animorum contentione de Graecis in ſcholas reuocandis certatum eſt. Legerant autem et legebant primi medici ἑλληνίζοντες tantum veteres illos ſcriptores, cognoſcebantque laudes aloes iecinoris in morem coactae, quam anxio ſtudio requiebant, ignari quod in ea, quam Socotrinam Arabes vocant, ipſam illam poſſiderent. Quare diſſenſus orti ſunt, quumque ab Socotrina diuerſum genus, bonitate illi cedens, non tamen arenoſum, offerretur, illud hepaticam dixerunt aloen: interim non paucis pro Socotrinae praeſtantia merito contendentibus, aliis epaticae ſuae principatum propugnantibus, et non ſatis perite ex veteribus argumenta repetentibus. Sic ortae ſunt tres in ſcholis noſtris celebratae ſucci aloes differentiae. Addiderunt alii aloen *lucidam:* ſic autem aeuo medio vocabant puriſſimam, et in non magnis fruſtis pellucidam ſeu transparentem, quam vernaculus quidam ſcriptor, litterarum, vt apparet, expers, Lycitam vocauit: eſt autem reuera ipſa illa Socotrina, vt ex ipſius pretii ſuppari magnitudine, aliisque ſignis, apparet. Iam

Iam ſi dicendum eſt vnde fiat vt notabilis ſit differentia trium aloes ſucci ſpecierum, forte non iniuria coniiciemus cauſam in diuerſam, cum ratione temporis, quo ſuſcipitur, tum ratione modi, quo perficitur, præparationem. Et quidem vt temporis rationem hic habendam putem, facit ſæpius laudatus *Fabius Columna*, qui monet, ſi quis ſua methodo, qua feruidiſſima aeſtate vſus fuerat, rem verno tempore experiatur, eundem copioſiorem quidem, ſed et nigriorem ſuccum eſſe impetraturum: quoniam tunc magis turgent venulae ſucci illius promicondi, ſed non elaborato, verum crudiore ſucco, qui per aeſtiuum ſolem coctior puriorque redditur. Vt vero etiam praeparandi modo non parum tribuam, mouet me communis Arabum, apud quos Aloe paratur, traditio, quam retuli ſupra ex d'Herbeloto: fieri autem nequit, quin illa Aloe, quae integrorum foliorum maceratione, contuſione, expreſſione, tumque vel fermentatione per XX. dies, vt de Rhodiis refert *Rolfincius l. c. p.* 32. vel decoctione, paratur, longe plurima heterogenea admixta habeat, multumque a ſincera vincatur, quam eligere debent quicunque veterum veram Aloen, ſiue a Graecis et Romanis, ſiue ab Arabibus tantopere commendatam, expetunt.

Hac admiſſa duplici ratione, tertia, cum neutra harum pugnans, locum etiam inuenit, nimirum regionum differentia, et pro eo etiam diuerſus gradus maturitatis et prouentus largi vel parcioris veri et eſſentialis illius ſucci: tum vero etiam diuerſa conſuetudo quam variae gentes in ſucco colligendo, depurando, exſiccando vtuntur.

Addimus, ex *Cl. Hermanni Cynoſura mat. med. p.* 285. Succotrinam et caballinam vtramque in inſula Sucotra colligi: hepaticam ex China afferri: differre autem plantas, ex quibus colligitur hepatica et Succotrina, non niſi loco natali. Caballinam ab Indis adhiberi pro incruſtandis nauibus picis loco, idem confirmat, inſuperque addit noſſe nunc illos eam expurgare a ſordibus, ita vt a Succotrina vix experientiſſimus diſtinguere eam

C valeat.

valeat. Haec lecta in memoriam mihi reuocarunt, quae apud *Jo. Meſue de ſimplic. cap.* 1. leguntur, et in hunc modum ſe habent: *Sophiſtae lauant ipſam lotione, qua partes eius immundae et craſſae ſeparantur, deinde lauant in aqua maris et pauci croci lotionibus pluribus, deinde permittunt exſiccari: acquirentes ei per hoc luciditatem et colorem citrinum et odorem bonum: verum odor eius deoccultat fallaciam.* Forte haec ipſa ars eſt, quam adhuc hodie exercent, ab Hermanno noua credita, quum ſatis antiqua eſſet.

Ceterum Hermannus perſuaſum habet hepaticam optimam eſſe: de quo quidem ſequenti ſectione diſpiciemus. Nunc addendum videtur aliquid ſuperius dictis, quod quum illa iam typis deſcripta eſſent, obſeruauimus. Nimirum cum enumerarem ſpecies Aloes Arabibus laudatas alicuius nemini *ex Senegia allatae:* in quo Guern. Rolfincium ſequebar ducem, eo ſecurior, quod meminneram in Africa magnum decurrere fluuium hoc nomine inſignitum, indeque ſuſpicabar regionem aliquam ab eo denominatam intelligi. Poſtea vero quum maiori otio Auicennam arabicum *pag.* 242. inſpicerem, animaduerteremque ibi legi *Semengeniam:* ab illa quidem ſententia recedere coactus fui. Quum vero diu multumque inquiſiuiſſem, quid hoc eſſet nominis, tandem mihi *Dherbelotus*, toties laudatus, ſuccurrit & indicauit Samangian, ſeu, quod eodem recurrit, Semengian vocari vrbem quandam prouinciae Thokhareſtan, quae ſecundum ripam orientalem fluuii Oxi ad mare Caſpium ſeſe extendit. Videant itaque alii annon haec Semengenia Auicennae eadem ſit cum Perſica Meſues, cui proximum ab Succotrina locum tribuit: et an ſatis recte calculos ponant, qui Semengeniam Auicennae et caballinam noſtram eandem eſſe exiſtimant.

§. VIII.

Aloe cathartica Graeciae non videtur cognita fuiſſe ante Alexandri M. expeditionem in Perſas ſuſceptam, idque

que imperium deuictum, maximamque orbis orientalis partem ſubiugatam.

Non ſemel admiratus ſum Hippocratem nihil prorſus de aloe commemorare: mihi ſaltem nullus occurrit textus, nec video quemquam, qui inuenerit, quod ex eo adduceret teſtimonium. Nec Ariſtoteles, nec huius auditor Theophraſtus, qui plantarum hiſtoriam dedit, et in illa non pauca ex Indiis allata laudauit, aloes vel verbulo meminit. Valde autem vero videtur ſimile Alexandri expeditionem effeciſſe vt aloe, pluraque medicinis idonea, orienti antea ſolum relicta, Graeciae aliisque Europae regionibus inferrentur. Eſto nihil valde tribuendum eſſe iſti Arabum traditioni de Socotera inſula Graecis colonis Alexandri iuſſu repleta: quod tamen hic rex de ſuo nomine dictum Aegypti emporium condidit, ipſiusque ſucceſſores, Ptolemaei priores, omni praeconio digniſſimi principes, eandem etiam muſarum pulcerrimam ſedem conſtituerunt, in qua medica ars curatius, quam vllo alio orbis loco, colebatur: inde puto factum eſſe, vt medici in notitiam huius ſucci hic peruenirent. Confirmat hanc coniecturam ipſa illa medicinae, quae hoc tempore accidit, mutatio. Nam quum priores medici Graeciae victus ratione potius quam medicamentis pugnarent: hoc aeuo Eraſiſtratus, praecipue tamen Herophilus, deductique ab illo viri, nuperque exorti empirici, omni ſtudio elaborabant in medicina vario remediorum, per os ingerendorum, apparatu amplificanda. Et quanquam praeclariſſima virorum, qui illo tempore floruerunt, ſcripta interciderunt, et ad tempora Corn. Celſi, Dioſcoridis, Pliniique inſigne interuallum intereſt: quoniam tamen hi ipſi viri, niſi forte Dioſcoridem velis excipere, Graecorum maxime auctorum fide nituntur, et ex ipſis pleraque deſumſerunt: facile perſuadere nobis poſſumus vſum huius remedii ipſis eſſe ſatis longo aeuo priorem.

FINIS SECTIONIS PRIORIS.

J723
D614h

10-117

NOBILISSIMO ATQVE PRAESTANTISSIMO

DOM. RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

QVum TIBI ob ſingularem modeſtiam morumque probitatem, tum vero ob aſſiduam diligentiam atque induſtriam, qua arti ſalutari operam apud nos a primo aduentus TVI die dediſti, in primis fauerim, TVAMque virtutem quouis officio fouere ſtuduerim: non poſſum quin publice etiam commendem atque collaudem profectus egregios, quos in doctrina medica conſequutus es, et in dies augere pergis. Faxit DEVS, a quo felices rerum noſtrarum ſucceſſus vnice expetere et efflagitare par eſt, vt TIBI omnia porro ad votum recte fluant, neque vmquam deſint virtutibus atque conatibus TVIS fauentes et munifici patroni, quorum beneuolentia ſubleuatus eum conſcendas apicem, ad quem honeſtiſſime adſpiras. Quod ſupereſt de me certiorem TE reddo numquam me TIBI vllo amoris officio defuturum, ſed omnia praeſtiturum pro viribus eſſe, quae a me proficiſci in commodum atque emolumentum TVVM poterunt. Vale. Altorfii Norimbergenſium a. d. XVI. Septembris

cIↃ IↃ CCXXIII.